Aphorismi Pædagogici

quos

Consentiente Max. Vener. Consist. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

p. p.

ANDREAS LUNDQUIST,

Ph. D. Ad Scholam Helsingoburg. Collega

Respondente

SIMONE HENDEBERG,

Scano.

In Audit. Minori die XXVII Maji MDCCCXLIII.

Hora a. m. sol.

Lundæ,

typis Berlingianis,

MDCCCXLIII.

Aphorismus I.

Jam dudum inter doctos quæstio illa multum sane et vehementer agitatur, utrum in Scholis Philosophiæ studendum sit, an adolescens præceptis philosophandi non prius imbuendus, quam Academiam, sedem atque domicilium eruditionis altioris, petiverit. Quas inter sententias dijudicare imprimis idcirco est difficile, quod Philosophia, sive materiem sive formam respexeris, a scientia absoluta et perfecta aliena esse nequit, scholastica autem institutio, cujus finis in eo præcipue cernitur, quod præparatio et quasi vestibulum est Academiæ, non potest quin utriusque ratione habita gradum teneat inferiorem. Omne tulisse punctum nobis videtur institutio scholastica, si omnia, quæcumque traduntur, distincte, certo atque explorate discipuli sciverint; sed in Academia perfectiorem rerum notitiam et "ipsi reginæ scientiarum" studendo et ceteris doctrinis more philosophorum tractandis attingere debebunt. Ex quo efficitur, ut si qui statuant, eos qui discendi causa Scholam frequentant, ipsa philosophia erudiendos esse, naturam Scholæ elementariæ parum sequi et quærere videantur.

E contrario veritati propius accedere nobis illi videntur, qui statuunt, eas solas disciplinas in Schola elementaria percipiendas esse, quæ pueros sive jam adolescentes, ut mente atque animo capiant philosophiam rationi et formæ artis convenienter propositam, qualis in Academia traditur, præparant et Philosophia propædeu-

tica appellari solent. Quarum in numero imprimis habemus Psychologiam empiricam et Logicam formalem, quam quidem posteriorem putamus tradendam esse una cum Grammatica universali secundum methodum, quam ut alios taceam adumbravit clarissimus H. C. W. Sigwart in libro, qui inscribitur: *Handbuch zu Vorlesungen über die Logik, dritte Ausgabe. Tübingen 1835.*

Aphorismus II.

Levis et repudianda videtur illa sententia pædagogorum, qui laborem discipuli, quantum fieri potest, sublevandum et in lusum jocumqae fere convertendum statuunt, teste utentes experientia, quæ videtur docere, animos quovis onere ac difficultate debilitari et frangi, sed studio et amore rei operam reddi faciliorem. At vero imprimis tironi discendum est, curam et diligentiam adhibere, neque in ullo labore contra quam fas est lassescere, atque animo firmo et fidenti voluntateque perpetua et constanti sibi imperare, ut quamvis impedimenta objiciantur gravia, eo quo tendat, perveniat. Neque argumentum illud, quod experientia confirmatum credunt, satis idoneum. Non enim omnis contentio, sed ea tantum, quæ nullius frugis est et certa caret ratione, laborem odiosum facit. E contrario quæcumque obstacula adolescentulo vel suo Marte vel duce præceptore assiduo perrumpere contigit, ea laborem eo dulciorem et metam eo magis optatam faciunt.

Aphorismus III.

Facere non possum, quin existimem studio geographiæ animum puerilem parum institui atque excoli, dum in Scholis vivit et viget ista ratio docendi, quæ imprimis id spectat, ut nomina memoriæ in-

culcentur locaque in charta digito monstrentur. Quæ methodi ad geographiam aptius atque ad id quod requiritur accommodatius tractandam valent, sunt a F. Kappe, viro clarissimo et a nostro Svenone Ågren descriptæ. Has inter methodos eadem fere ætate inventas hæc imprimis sunt communia, ut discipulorum acuant facultatem contuendi eosque ad industriam excitent. Præterea id utraque spectat, ut pueri lineas rectas conjungendo imagines superficiei terræ adumbrare discant. Sin de eo agitur, ut inter modos geographiæ docendæ, quos jam commemoravi, diligentiorem faciamus comparationem, non possumus, quin statuamus methodum a F. Kappe expositam et prius esse inventam et ex multis partibus præferendam. Quæ illius methodi præstantia in eo præcipue cerni nobis videtur quod non tam multas res antea cognitas quam altera postulat, et quod industriam discipulorum et navitatem magis stimulat et incitat, nec tamen memoriam iniquius onerat.

Aphorismus IV.

Nostra ætate, quum studia humanitatis subtilius tractantur atque diligentius quam umquam coluntur, et realia, quæ dicuntur, majore quam olim, pollent auctoritate, in institutione scholastica circumspectius cavendum est, ne, ut verbis utar Joh. Gesneri — ipsa copia nos pauperes faciat. Neque hoc ulla umquam deleat oblivio, quod quidem vim proverbii jam obtinuit, "in Schola non multa sed multum". In classibus inferioribus institutio non esse debet nisi stataria, quæ ne in summis quidem lectioni cursoriæ omnino cedat. Si enim pueri aut nimis multis rebus discendis fatigantur, aut singulis leviter et obiter studere assuefiunt, non educantur adolescentes, qui suo Marte in curriculo litterarum progredi et pro-

ficere possunt, sed Margitis similes, in quos quadrat, quod de illo habet poëta: παντα δ'ἐπιστατο ἐργα, κακως δ'αῤ ἐπιστατο παντα.

Aphorismus V.

Qui munere præceptoris fungitur, methodum acroamaticam, quæ dicitur, rarius, erotematicam sæpissime adhibere debebit. Quamvis enim magister, qui methodo acroamatica utitur, in agendo versari videatur, qui vero erotematica, ipse quiescere et discipulo omnem laborem aut saltem majorem ejus partem relinquere; tamen res se longe secus habet. Methodus sane erotematica, nisi ab eo, quod propositum est, omnino aberrabit, maximam animi contentionem requirit; est enim ejus viri qui discipulum propius inspexerit, ut dotes ingenii et progressus in studiis jam factos penitus cognoverit. Jam vero nemo ea recte uti potest, nisi qui multa secum de re, quam tractet, reputaverit et eum statum animi diligenter tueatur, ut id, quod ipse sciat, quamvis cupiditas docendi ad pronuntiandum impellat, tamen animo clausum et reconditum habeat, et quasi in præsenti obliviscatur. Quin etiam magistrum, si ad optatos exitus provehi velit, ad judicium et intelligentiam discipulorum ita descendere oportet, ut non solum ea, quæ ipsi maxime sunt cognita, quasi incognita ex iis quærat, verum etiam ejus partes agat, qui una cum iis vera indagare cupiat et investigare. Hoc ipsum in causa est, cur methodus, quam supra nominavimus, erotematica, minus quam par est, in pueris instituendis adhibeatur.

Aphorismus VI.

Sane hoc est lætabile faustumque nostræ ætatis omen, quod lingua vernacula in numerum earum rerum, quarum disciplina

haud erit in Scholis negligenda, jam referri cœpta est. Est tamen dignum animadversione, quod classicæ eruditionis amantissimi sæpe et quidem vehementer huic temporum inclinationi et voluntati fuerunt adversati eandemque insectati, timore quodam ducti ne solida atque firma litterarum Græcarum et Romanarum doctrina cum studio linguæ vernaculæ nullo modo convenire posset, quamquam hoc loco, si usquam, hæc valet sententia, ut alterum sit colendum, alterum vero haud negligendum. Etiam clarissimum Friedr. Thiersch, virum multæ magnæque doctrinæ in numero eorum collocare licet, qui nimio amore et studio litterarum classicarum incensi disterminatam quandam et quasi separatam disciplinam linguæ vernaculæ omnino supervacaneam esse et inutilem fere putarunt. (Vide *Ueber gelehrten Schulen mit besonderer Rücksicht auf Bayern, Stuttgart und Tübingen 1836. 4:te Abtheilung vom Deutschen Unterricht.*) Quam quidem sententiam ad confirmandam primum hæc affert sua ipsius verba: *die eigene Sprache haben wir wie mit der Muttermilch bekommen, und es ist eine Thorhit, sie lehren oder lernen zu wollen:* deinde vero quod ille Wieland, cum esset interrogatus, a quo linguam vernaculam tam concinne tamque egregie tractare didicisset, respondit "a Cicerone", quem eundem ab ipsis præceptoribus exemplisque Græcorum suam sermonis latini facultatem eximiam sumsisse dicebat. Illud quidem verum est, infantem quasi cum lacte nutricis linguam vernaculam sugere, in qua se quotidie exerceat; sed exinde non sequitur, ut sit stultum hanc discere et docere. Valde enim differt, utrum sollertiam quandam quasi ingenitam habeas, an certa scientia polleas, quæ in ipsa vi atque natura rei de qua quæritur, plane perspecta cernitur. Quod autem ad hoc posterius argumentum attinet, partim ex eo loco, quem ille Thiersch citat, Ciceronem doctore Diodoto stoico haud omnino exercitatione Latinitatis caruisse facile

concluditur (*commentabar declamitans - - - - multum Latine, Græce sæpius,* Cicero in Bruto. Cap. 90). Partim sunt Græca et Latina inter se tam conjuncta, quam mater et filia, cum ex altera parte Germanica et Svecana, ex altera vero Latina e variis atque inter se diversis fontibus emanent. Quod vero dixit Wieland, eo minus ad istam sententiam stabiliendam afferri debet, quo certius omnes concedere debebunt et universalia fundamenta propositionum conformandarum ex ipso studio linguarum classicarum exhauriri, et inde multas easque accommodatissimas occasiones linguæ vernaculæ locupletandæ et excolendæ offerri posse; neque tamen negandum, accuratam atque firmam cognitionem eorum, quæ uniuscujusque linguæ sint propria et insignia nullo modo, nisi studio ipsius linguæ et modi quo fuerit exculta, comparari posse.

Aphorismus VII.

Toto fere in campo studii Grammaticæ longe lateque divagata erat illa levitas ac cognitio parum solida; nusquam vero majus sibi ludendi spatium arrogaverat, quam in grammatica ellipsi, quæ dicitur, enodanda. Namque unaquæque forma, quæ sese dirigi ad quasdam jam præfinitas regulas non pateretur, ellipsis habita est. Quo in genere conferas velim ex. gr. *Ellipses Græcas* (Lamb. Bos), quod quidem opus sæpe editum et commentariis instructum fuit, vel librum, qui inscribitur "in nuce Roma", a nostrate Ihre latine confectum, quem olim valde et admirati sunt et secuti. Imprimis in explicatione casuum et particularum ista ratio ellipseos magnam fecit turbam et confusionem, aut certe ad hanc alendam haud parum adjuvit. Originem suam debet pravis judiciis jamque inveteratis et quasi usucaptis de notionibus singularum Grammaticæ formarum, maximeque casuum, vel potius huic causæ, quod specialia

pro regulis valebant, generalia autem pro exceptionibus habebantur, quæ quidem suam ipsarum interpretationem desiderabant. Ex perturbatione, quam ista ratio in ipsa disciplina excitavit, facile colligitur, quantam tironibus factura sit, qui hac erunt imbuendi. Qui jam insueverit ex ellipsi quadam quamlibet formam explicare, haud sine maxima difficultate ad veras Grammaticarum formarum notiones adscendere poterit, quod quidem illi non prius continget, quam eorum crepundiorum, in quibus percipiendis maximam posuerit operam, omnino fuerit oblitus. Jam ab initio institutionis grammaticæ discipulus discere debet, veram ellipsin ibi solum esse ponendam, ubi vestigia manifesta rei exclusæ relicta sunt, sive hæc exclusio ex ipsa constructione verborum sive quadam conventione et quidem proprietate usus loquendi emanat.

Aphorismus VIII.

Disciplinam scholasticam considerare et conservare inter maximas gravissimasque curas et præceptoris et legislatoris esse debet. Quam rem profecto esse necessariam, satis multi intellexerunt et concesserunt; sæpe tamen in nostra patria pluries vero graviusve aliis in terris ex. gr. in Borussia et Dania in eo errarunt, quod disciplinam finem intermedium non primarium statuerunt. Istam fuisse mentem disciplinæ scholasticæ multis ex rebus maximeque ex eo intelligitur, quod ad progressus in studiis accelerandos eis rebus uti non dubitarunt, quæ ambitionem discipulorum incitarent animosque ad gloriam captandam stimularent; quamquam hæc nulla sunt proba et honesta incitamenta ad vere bonum promovendum, sed potius inanem ostentationem efficiunt, ut ab aliis comprobentur atque idonei spectentur, ex quo fit, ut discipuli, cum illi stimuli iis sæpius admoveantur, satius putent, titulum specio-

sum sibi ambire quam virtutem solam per se expetere. Ergo hoc sit primum in præceptis disciplinæ scholasticæ, ut nihil sit in Schola agitandum, quod honestatem discipulorum confringat, quamvis vel plurimum ad vim mentis acuendam augendamve scientiam adjuvet.